

GELASII TRISMEGISTI
COLLOCUTIO

Cum

DEMOCRITO,

Super

EPISTOLA

FRIDERICI SPANHEMII FIL.

Quam nuperius in lucem protulit
contra

JOHANNEM vander WAAJEN.



ANNO EPOCHAE VULGARIS.

M D C L X X X I I .



COLLOCUTIO:
GELASII TRISMEGISTI,
cum
DEMOCRITO.

G E L A S I U S.

AIn' tu, DEMOCRITE, legisse te Epistolam F R I D E R I C I S P A N H E M I I , quam ille quinto Kalend. Septembris, cum in Palatinatu esset, misit ad *Amicum de nupera Praefatione* J O H A N N I S vander W A I E N literis referentem.

DEMOCRITUS. Ego vero illam legi, mi G E L A S I , sed non nisi perfunctorie ; neque enim per occupationes, quibus acerrime implicitus fui, perlustrare illam licuit & accuratius. Quocirca te etiam atque etiam rogo, & si pateris, per nostram amicitiam flagito , ut nihil circuitione usus tuam mihi de hac Epistola mentem aperias. Cum enim immanc quoddam sententiuarum, quas quidem ego audivi, di-

vortium sit, nemo homo est, cuius
ego judicio tantum tribuere velim
quam tuo.

GELASIUS. Legi sane Epistolam illam & relegi saepius, Amicorum praestantissime, subductisque omnibus rationibus hanc feci summam mearum cogitationum, *Spanhemium* antiquum obtinere, nec adhuc de inventato illo, & plus quam Vatiniano, quo nos infestat odio, transversum unguem discedere. Coecus sit & vescors oportet, qui non ubique videt & miratur censorium illud supercilium, incredibilem illam & inhunianam, ut ita loquar, arrogantiam. Stylus ipse prodit auctoris animum, bullatis ampullis omnis pagina turgescit, vocesque vides cum cristi & superciliis natas. Gestiunt mihi profecto manus, pruriunt diti, & difficile plane est, non scribere Satyram.

DEMOCRITUS. Tum equidem istuc os tuum videre nimium vellem, vel audire potius petulanti splene cachinnos, quibus latera non leviter concuteret

teres. Illum etiam, si te novi, adeo exornatum redderes, adeo depexum, ut usque dum vivat, meminerit tui. Sed vero mirari satis haud possum, non probari tibi *Spanhemii* stylum, cuius tamen elegantiam plurimi nec illiterati Viri summis in coelum extollunt laudibus.

GELASIUS. *Pro captu lectoris habent sua fatalibelli.*

Est genus hominum, qui sibi metipsis imperarunt, omnia assentari. Hos si tu quaeras, dicent profecto, *Spanhemium* suum, nil nisi laterculos, sesamum, papaveremque, triticum & frictas nuces loqui. Omnes autem, qui elegantioribus imbuti sunt literis aeque judices, negabunt strenue, videre se illam illam Latini sermonis castitatem, venustatem illam, illam puritatem, quæ capere ac delinire legentem solet. In ea enim scriptor Epistolae est haeresi, qualem fere in Sisenna false ridebat Cicero, ut Poëtice, saepe etiam inusitate loqui, putet esse eleganter loqui, tum

demum sibi ingeniosus visus , si panum aliquem ex purpura , qui late splendeat , intexuerit . Praeterea stylus ejus hiulcus est & inaequalis , non fluit veluti sedatus amnis sine ulla salebris , nec , quod maximum est , naturali pulcritudine exsurgit . *Id genus orationis autem , Ciceronis verba sunt , est optimum , quod uno tenore , ut ajunt , in dicendo fluit , nihil afferens praeter facilitatem & aequabilitatem , omnemque orationem modicis verborum sententiarumque ornamenti distinguit .* Hac lance si pensitabis stylum , de quo sermo est nae ego multum fallor , aut tu judicio nostro album lapillum adjicies . Pulcritudo & aequabilitas illa naturalis mihi quidem tantopere ridet , ut horum , qui illam sequuntur negligentiam quandam aemulari malim , quam istorum affectatam diligentiam , praecipue cum magno conatu non nisi magnas nugas agunt .

D E M O C R I T U S . Enimvero hæc dicta tua avibus istis , quae apud Phaedrum sunt comparo . Graculo plumas , quibus

Cic. in
Oratore
ad M. Bru-
tum.

bus sese ornaverat, non paucas evel-
lunt Atque impudenti pennas eripiunt
avi Fugantque rostris.

GELASIUS. Ne tu forte haec temere
a me dicta autumes, audi obsecro,
quam in ipso offendat limine:

Fertur in amplexus natus, frater-
que sororque, " " "
levant laborem nostrum annum, dum "
otiantur ubique Musæ, amicorum al- "
loquia, diffundit sese pariter in fessa "
tenerioris corpusculi " "

Membra vigor, vivusque redit co-
lor, " "
invitant largiter Heidelbergenses quon- "
dam mei, recreant Palatinæ illecebrae, "
afficit cœli solique admiranda tempe- "
ries, erigit ejus Principis clementia, "
quo nihil sanctius meliusve præcipiti "
huic ætati datum est, quin juvat re- "
gia munificentia, non tam doni pretio "
"

Æra dabant olim, melius nunc o-
men in auro, " "
quam quod ab illo datum est, qui lar- "
giri nihil potuit majus, ipsam scilicet "
virtutis pietatisque imaginem, quia "
suam. A 4 Di-

Diceresne tu *Spanhemium*, cum haec scripsit aut exultasse nimium prae gaudio aureæ *illius imaginis*, quam Princeps dono dederat, aut largiter invitatum fuisse ab Heidelbergensibus quondam suis? Stylus minimum vacillat valde, mox huc impellitur, mox illuc; ipse vero scit, nescit, solutane oratione uti debeat an ligata.

Sta pes, sta mi pes, sta pes, ne labore, mi pes.

Pag. 6. In calescit deinceps vehementius.

„ Quanquam vero vel hoc ipsum sit
 „ innocentiae ac cuiusdam meriti argu-
 „ mentum accusari ab eo Viro, qui auda-
 „ ciæ modum deinceps nullum figit, qui
 „ dum fumos aliorum ventilat, turbines
 „ suos prodit, qui nihil non sibi, Belgio
 „ toto nuper stupente in Patriæ Ducem,
 „ in Proceres, in Classes, in Veteranos,
 „ in reverentia, pudoris, amicitia, pacis-
 „ que leges permissum esse credidit, qui
 „ nihil moderabile suadet nummorum fi-
 „ ducia quibus

„ Regum æquabat opes animis,
 „ & igneus æstuantium praecordiorum
 „ im-

*impetus innatumque mentis quoddam „
supercilium, ut novis Mysteriis, sic „
Vento gravidae, mirabile dictu! „
quæque nāθ dñtñv ḡdēvōs meiζov ḡdēv, se „
ipſa nihil majus fert.*

Pulmones satis robustos habeo,
non tamen haec legere potui uno spi-
ritu, neque una, ut cuni Hierony-
mo loquar, saliva.

Proinde, si conjectura mea de in-
vitatione Heidelbergensi vera est, vi-
des quoque verum esse, quod apud
Athenaeum nuper legebamus:

*Οὐ γάρ Φεούεοντας εἰς ἀφεούντιν αὐ-
τάλλει.*

Quis enim sobrius tot convitia αὐτού-
τι evomeret?

DEMOCRITUS. Si tibi Spanhemii Ad-
versaria inspiciendi daretur copia, nae-
tu prolixum Convitiorum catalogum
reperires. Ex his tamen velut ἐν τῇ
Κερσπέδῃ τῷ παντὸς ὑφάσματῷ existi-
mare poteris.

GELASIUS. Nec hoc ita male. Mul-
ti sane, qui viri hujus scripta non in-
diligenter perlustrarunt, id quod de-

Adversariis loqueris, habent persuasissimum. Memini me legere in Epistola ejus de Novissimis circa res sacras in Belgio dissidiis, elegantissimas quasdam magno cumulo sententias. Per opportune ad manum illa est, praelegam. *Malum pati a fratribus, quod passus est Christus, quam nostras scele
rare manus. Nec illud mihi ignomina est, nec istud ipsis gloria, ut cum*

Spanh.

Epist. A.

1677.

pag. 9.10.

II.

Cypr. Ep.

LV. Ambrof. in

Luc.

XVII.

In Ep. ad

Eph. c. IV.

Hom. XI.

sub si-

nem.

Ibid.

Cypriano dicam. Nihil est, quo possit offendī, cui ignoscendi consuetudo est.

Placet laus ultimæ patientiæ & Chrysostomi exemplo accusari potius flagellarique quam audaciam illorum æmulari.

*Atque utinam omnium animis sedret infixum ejusdem Chrysostomi istud alterum: Vis de me vindictam, cur de Christo capis? Injuriae affeci, cur nihil lèdentem contristaris? Nunquid hoc extremæ vesaniae est? Conceptis verbis dejerare quis ausit, haec in Adversariis Spanhemii, eo quo heic posita sunt, reperiri ordine, Titulo, si-
ve, Loco, ut vocant, Communi: TOLERANTIA CHRISTIANO DIGNA.*

Illa

Illa vero eo tantum dicta esse , ut sciamus Spanhemium scire haec , quis non videt ; cum tota illa Epistola clamet , non vere illum haec verba & ex animo dicere , meritoque illi objici posse , quod Plautus in TRUCULENTO ait :

In melle sunt linguae sitae vestrae atque orationes

Lacte que , corda felle sunt lita atque acerbo aceto ,

E linguis dulcia datis , corde amara facitis.

Verum illa res , ut est ejus multa ac magna diversitas , longius me ab incepto traheret. Aliud est , quod praetermittere nullo modo debeo. Paginae sextae initio Philosophum agit Noster , ratiocinaturque argumento inevitabili , quod utroque cornu premit , Græci δίλημμα vocant.

*Sienim silueris confessæ rei postula- „ pag. 6.
bit accusator ; si cum illo te commiseris , „
Velsi vicitus erit , tecum certasse fe- „
retur !*

Beatum Te , Wajene , quem nunc seri „
spe-

spectent memorentque nepotes. M A-
GNI AENEAE DEXTRA CADES. Quid
enim? *Tecum certasse feretur!* Wa-
jenus feretur certasse cum *M agno Span-
hemio!* Ita si loqui pergas, Spanhemis,
dico edico tibi intolerabilis fastus tuus
in furorem degenerabit & dementiam.
Nimirum vis reformidari nomen
tuum, & scripta illa tua, tanquam
ancilia de coelo delapsa cum sacro
horrore & religione quadam tractari.
Adeste hic Medici, quotquot estis,
omnes, praescribite vomitum, ut in-
fanus tumor subsidat, & vacuetur
noxia copia. Sed salva res est. Defer-
bet & mirum in modum mansuecit
sequente pagina. *Licet enim capit is*
,, pene anquiratur, mentem tamen illico
,, placidus componit.

pag. 7.

DEMOCRITUS. Utinam hoc animo
illius fixum sit maneatque consilium!

GELASIUS. Sic fandi notus Ulysses.
Tu vero cave credas. Mox enim &
praecipue circa finem Epistolae, ignea
vi sic rapi hominem videbis, ut jures
placidam illam mentem ex pectore

VO-

volasse, quamprimum intraverat.
At ego pergam tecum communicare,
quae inter legendum mihi notaveram.

Pag. 17. ait: *Præclare Agathias Scho-* „^{Pag. 17.}
laſticus in Justiniano ſuo: Ελεῖται μὲν „
ὅν ἦ χαλεπάρερθαί δίκαιοι ἀντὶ τούτων, καὶ „
πλείστης μεταλαγχάνειν συγγέμινται „
τες, οἵσοις διὰ τούτους ἀληθῆς ἀμαρτίας τοι, καὶ γένεται „
διπλέκτιμοις ἀλώντας ὁλιθαίνεται. Com- „
miferatione equidem & venia, potius „
quam odio, digni sunt, quotquot ἀνε- „
ro aberrant; neque enim volentes er- „
rant & labuntur. Id ne nescias, De- „
mocrite, ſcire enim tua vehementer „
interest, reperias lib. I. Edit. Regiae „
, pag. 18. Quanti est sapere!

DEMOCRITUS. Quae de Editione
Regia loquitur, vanum aliquid aper-
te praeferebant. Paucis licet esse tam
beatis, ut praeter Theologiae & Histo-
riae Ecclesiasticae docendae provin-
ciam Bibliothecarii etiam obeant mu-
nus, librosque alieno sumtu, iniquissi-
mo licet pretio, emant, non illos, qui Bi-
bliothecae maxime sint utiles, sed qui
Bibliothecario. Quod Lugdunensem
fa-

facere certissimum est. Attamen , quod pace tua dictum velim , hae auctorum quas vocant , allegationes , utilitatem legenti afferunt non contemnendam.

GELASIUS. Non modo non contemnendam , sed & meo arbitrio maximam . Ea tamen lege me habes consentientem , ut cum judicio adhibeantur & delectu , non vero ad vanam eruditionis lectionisque multijugae ostentationem . Qua in re peccare plurimos saepissime video . Hos autem non minus ridere aequum est , quam illos , qui verba quaedam Scripturae Sacrae misere coacervantes , capita perpetuo , ipsa denique commata adjungunt . Cujus rei exemplum facie-
tissimum & ludos simul olim praebuit unus ex Teelingiis , qui in Praefatione quadam Auriacum Principem alloquens : Tu Serenissime Princeps , ait , qui totam perambulas terram . Jobi I. com. 7. Oblitus nimirum erat hic Apollos , dici haec de Diabolo .

DEMOCRITUS. Et haec quidem causfa

fa est, quamobrem multos limato & polito judicio in Republica nostra Vi-
ros exclamare saepius audio: Immor-
talem Deum! quantum est verbi divi-
ni Ministrum non ineptire! Sed illud,
o noster, quod inceperas, expedi.

GELASIUS. Unum habeo addere, nimirum Bib iothecarium nostrum haud dare specimen infinitae lectionis suae, tum cum maxime vellem, maximeque opus fuit. Loquens de Canone Calcedonensi, ne simulacrum ^{pag. 62.} quidem ullum aut vestigium minimum apposuit. Plurimi vero si sci-
rent reperiri Canonem illum Tom.IX. Conciliorum Labbei pag. 148. vel in Codd. Canonum Justelli, inspice-
rent profecto, an ita, ut ait, se ha-
beat. Qui vero dictum illud Agathiac Scholastici lib. 1. Edit. Regiae pag.
18. quaerant, erunt sane, vel duo, vel nemo.

DEMOCRITUS. Ne tibi sit mirum ad marginem haud videri, ubinam gentium hic Canon reperiatur? *Span- hemiano*, id est, summo hoc arbitro

factum judicio. Cum enim *Wajenus*
pag. 62. *Canonem illum ne p̄ictum* quidem vi-
 derit, adeone oblitum sui putas esse
Spanhemium, ut alteri praeluceat fa-
 cem? Quaeret nunc *Wajenus* solidos
 dies, multasque noctes, & frustra
 quaeret.

GELASIUS. Incredibilem ista sapiunt
 audaciam, impudentiamque praedi-
 candam. Quid obsecro, tam teme-
 rarium tamque indignum sapienti
 Viro dici aut cogitari potest, quam
 affirmare sine ulla dubitatione, quod
 ipsi scire plane ἀδύνατο est? Scilicet
 omnia haec huc redeunt denique:
Spanhemius quantus quantus nil nisi
 sapientia est, *Wajenus* aliique volitant
 velut umbrae. Illi *ne p̄ict* aliquid videtur
 verba, quae hic librorum hel-
 luo jam dudum devoravit. Ita videoas
 Fratres Sylvestres in Friesis, agresti in-
 genio simillimisque moribus homi-
 nes, *Venerandi Confessus* titulo super-
 bire. At alter, vir licet spectatae pie-
 tatis & doctrinae non tralatitiae, ipsis
 fatentibus inimicis, *Giffenius* quidam

pag. 33.

ibid.

au-

audit. Didicit hanc urbanitatem Pa-
latinus noster Aulicus a Fratribus suis
Septies-Sylvestribus , qui Professo-
rem Theologum Hebraeamque lin-
guam in Groningana Academia docen-
tem (cujus opus de Vestitu Pontifi-
cum Hebraeorum aetatem profecto
feret , non autem cacatae istorum
chartae) *Braunium quendam* dicere
non verentur.

*Nunc mores nihil faciunt, quod li-
cet, nisi quod lubet,
Ambitio jam more sancta est, li-
bera a legibus.*

Olim dixerint :

*Qui ipse sibi satis placet, nec probus
est, nec frugi bonaे.*

Nunc turpe amplius non est de se ip-
so sentire & loqui magnifice. Quid
verbis opus est? Audi Datorem Re-
sponsi. (Vellet ipse , ni fallor , hoc
sumi eo sensu , quo oracula & sortes
dicuntur.) Ita loquitur pag. 35. *Sed*
pru iisse videtur in singularem hanc ,^{pag.35.}
pugnam ex inveterato quodam ulcere ,
aut secum reputasse & ex vero quidem ,

B haud

„ haud fore istis (sibi nimirum & Wit-
 „ zio) tantum abs re sua otii , ut postha-
 „ bitis iis scriptis , quae loquatur poste-
 „ ritas , offendam istam calamo vindica-
 „ ret. Deinde postquam exclamavit :
 pag. 65. „ eis Avlūwgas , Amice mi , Praefato-
 „ rem illum tuum , si quæ tamen spes
 „ est ullo eum helleboro redire posse ad sa-
 „ nam mentem ! ait pag. 67 : Quanquam
 pag. 67. „ auctor non sim Praefatori , ut mecum
 „ hoc certamen experiatur faciet (opinor)
 „ non sine magno suo malo. Arrogantissi-
 „ me omnium : Demeremur posterita-
 pag. 62. „ tem iis scriptis , quæ etatem ferant
 „ non quæ inserviant thuri , piperi , cu-
 „ mino , & si quid præterea
 „ Chartis amicitur ineptis.
 „ Si haec tam vere dicerentur , uti in-
 „ solenter & Φαρασιωλήντως jaçtantur ,
 „ nunquam profecto prodiisset in lu-
 „ cem Herois nostri Oratio , quam nu-
 „ per habuit cum Rectoris Magnifici
 „ personam deponeret. Venit epistola
 „ quaedam ad meas manus , scripta ab
 „ amico , qui testis auritus est .

DEMOCRITUS. Illam quaeſo te , ut
 legas. G E -

GELASIUS. Imo ego te obsecro, ut audias.

LEPIDUS S.P.D. SEVERO.

Videor mihi videre SEVERUM nostrum nocturnis chartis impallescere, & in centena volumina, quæ rapuerat discedens, totum se abdere. Hinc meum est vigilare, & hominem, qui nec se, nec suam curat valetudinem, excitare illo veterum verbo: Ohe! jam satis est. Quod ut exequi felicius possim, rogo, imo flagito, para te, SEVERE, ut rideas, para. Talia enim ego heri audivi, & tu hodie audies, quae nec ego, qui petulantiore paullulum splene sum, sine risu cogitare, neque tu severa tua fronte excipere possis. Non opus est hic te memorem Terentiani verbi: Ne quid nimis. Si enim ab imis usque talis rideas & effusissimo cachinno latera concutias, minus tamen facies, quam res postulat. Tibi profecto, nisi alio nunc ingenio es post Palingenesiam Amstelodamensem, atque olim fuisti, illud omnino ingratum esse haud po-

test. Sed audio dicentem : Quae verborum tu mihi fundis maria ? illud quid sit , tandem eloquere. Eloquar , **SEVERE** , sed rogo te , siste prius animo tuo & finge videre Te Virum , quem homines non inepti ad miraculum doctum & supra laudes inclytum esse clamant , quem velut aram Musarum consecrant , quem perhibent Lugdunensem Academiam toto celebrimam orbe veluti Atlantem humeris suis sustentare , quemque **Serenissimus Princeps Rectoris Magnifici** dignitatem tueri hoc anno voluit. Nunc absque me intelligis , sermonem mihi esse de **Magno Spanhemio**. Sed id adhuc haud satis est. Oportet , ut proponas Tibi & veluti oculis paullo altius defixis , ita mente tua contempleris illustrem illam doctorum undequaque confluentium Panegyritin , in qua Rectori , cum Magistratum deponit , solennis habenda est Oratio. Cum utrumque hoc cogitando conjungis , sentisne in animo tuo excitari incredibilem quandam spem
at-

atque expectationem , quae si conceptis verbis explicanda foret , dices : Quae eloquentiae flumina , quot rerum pondera , quas interiorum litterarum delicias , quae quidem dici aut cogitari possunt audiemus ? Sane ita ego cogitabam , cum relictis ad Lugdunenses magno impetu properarem . Quam vero spes deluserit hiantem , nunc accipe . Conscendit cathedram homo , in cuius ore , fronte atque oculis Saturni imago exsplendescerat . Spanhemium fuisse dicunt oculi mei , sed mens hyperbolice dubitare mavelit , quam illud credere .

Conticuere omnes , intentique ora tenebant.

Incipit Orator . Praefatur multa de cogitatione mortis , cuius ideam sibi excitatam ait , catharro , quo labaverat . Querimonias magnas jaetat , quod isto morbo impeditus parare Orationem tot Romanis auribus dignam haud potuerit . Dubium olim haesisse se adjungit , quale argumentum eligendum potissimum esset .

Enarrat argumenta plurima, digna, quae tractentur. De singulis breviter perorat, atque ita tempus dimidium, quod Orationi debebatur, his exordiis impendit. Tandem ait se locutum de Cometa nuperius viso. Irridet primo superstitionem illorum, qui credunt Cometas res futuras significare. Dolet excidisse Lucano sapienti Viro,

— *Crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem regna
Cometen.*

Mox veluti profanitatem damnat sententiam illorum, qui ista Phaenomena ex causis naturalibus explicant. Esse enim admiranda, esse stupenda Dei opera, neque in his nunquam conspicere singularem divini Numinis providentiam. Sic multa esse admiranda, non solum in coelo, sed & in terra & mari, in animalibus, in plantis, in volucribus & piscibus. Posse hoc exemplis luculentissime demonstrari, sed nolle se compilare Plinii Historias, quod facile esset.

Stu-

Stupenda tamen esse, quae de Phoenice apud Clementem Romanum, quae de Chamelaeonte apud alios leguntur. Redibat deinde ad coelum, sed altero momento terras repetebat, ut facilius intelligeres, propositum homini fuisse, summa imis & terram coelo miscere & confundere. Finiebatur tandem haec

*— rudit indigestaque moles,
Nec quidquam nisi pondus iners, con-
gestaque eodem*

*Non bene junctarum discordia semi-
na rerum,*

eleganti hac clausula: Nolo, ait, tametsi infinita huc adduci possent, vestra diutius abuti patientia. Quid nunc ais, SEVERE? annon haec omnem θαυματρεγίαν superare tibi videntur? Quid ni exclamas Ορθῶς. Καλῶς. Σοφῶς. Pulchre. Bene. Recte. Verum reliquit jocis, viden' tu, quid in hac rectui sit officii? Si nescis, dicam. Patronos multos habes Amstelodami, in illis erunt proculdubio aliqui, qui curam gerunt famosae illius Domus,

quam adhuc magis famosam reddit
elegans haec & marmori insculpta in-
scriptio :

DIE MET KRANKSINNIGHEIT
ZYN BEGAAPT
DIE WORDEN HIER GESPYSET
EN GELAAPT.

Nam quia *Dono* illo instructum vides
Oratorem, procurandus est locus ho-
mini in illa Domo, ut cum Ratione
& Judicio redire in gratiam possit.
Unum illud, quod contra meum
consilium objicere potes, praevideo;
dices enim, non tam severe agendum
cum homine, qui prae nimio Amore
quo recentem suam Venerem ample-
ctitur, sui oblitus est. Et quemadmo-
dum nuper (pergis enim Apologiam
facere) Carmine invitans dilectam
suam ad consuetudinem: Veni, aje-
bat, Ursula mea, fruere deliciis Dei,
Christi, Angelorum & Paradisi, ita
& nunc non mirum tibi videatur,
quod cum in coelo Cometam consi-
derare debebat, mox in terra, mox in
mari fuerit. Bonus enim vir nimium
mul-

multas prae amore ecstases patitur...
... V. Eid. Febr. cl^o I^c L^{xxxli}.

DEMOCRITUS. Satyrico sale non le-
viter haec sparsa sunt, verum dic tu
michi sodes, quid sibi quaerit carmen
illud, quid illa, quam audio, invitatio
ad consuetudinem?

GELASIUS. Rem omnem intelli-
ges. Carmen enim ad manum est. Et
primo quidem audi Latinam Elegiam,
nec mirare gaudia Nuptialia lugubri
carmine proponi. Tametsi enim res
ipsa laeta sit, verba tamen & venam
quivis bonus Poëta lugeat.

S P O N S A E S U A E

Eternae Conjunctionis Qualecunque " "
hoc pignus " "

L. M. Q. P. " "

S P O N S U S.

Virginei pars prima chori, Venus, "
ipsa, leporum " "
Sedes, nec virtus altius ire queat. ", "
In thalamos properare rubes, quid me, "
Ursula, vestros? " "

B 5

Non

- Non aliter constant hæc , mihi
 crede , sacra.
 Me tibi junxit amor , jungit te dex-
 tera , jungant
 Oscula , & æterni pignora blanda
 jugi.
 I livor Heimbachiae laudis , nostræ
 invida sortis ,
 Irabies , nodum hunc solvere nul-
 la potes.

Aucto*re* *Augst.*

Quid tu vero ad haec , mi Democri-
 te ? Annon , qui in bicipiti Parnasso
 somniare quandoque soles , incalces-
 cis , audiens ēvpiματ̄ illa profundissi-
 ma , vel magis lacteam illam venam ?
 Viveret modo , viveret Ovidius , quos
 ô Musae , plausus , quos clamores
 cederet ! Quid enim in isto poëmate
 est , quod non accedat proxime ad di-
 vini hujus vatis elegantiam ?

DEMOCRITUS. Ludis tu quidem nunc
 me . Spanhemius profecto sit carmi-
 nis istius auctor ?

Non aliter constant hæc , mihi crede ,
 sacra .

I li-

I livor Heimbachiae laudis. Non possum facere, ut credam. Hi enim Elegi neque nervos habent ullos, neque aculeos. Quin tu uno verbo, quae vera sunt, dicio.

GELASIUS. Vera praedico & verisima.

DEMOCRITUS. Li in Livor non brevis sane sed longa est syllaba. Id alta mihi mente repostum manet. Cum enim puer annorum admodum undecim Elegos quosdam funderem, ita ut fit illa aetate, per negligentiam Li in Livor brevem syllabam feceram. Sed commonefaciebat me monumen-
tis bubulis haud perfunctorie magister meus, &, oblitusne es, inquit, Afine, illud Ovidii:

*Pascitur in vivis livor, post fata
quiescit.*

GELASIUS. Ita si scripsisset Wajenus, aut multum ego hallucinor, aut *Span- hemius* albis quadrigis insistens triumphasset, illumque stupidum, puerum, venustatum omnium ignarum dixisset. Sed quo provehimur, Amice? Nostin' verbum illud, vulgo quod dici
fo-

folet : Naevus in corpore pulcro , pulcritudinem non minuit , sed auget.

Quin aliter nodum hunc solvere forte potes.

(Ita Sonorinas Elegiae hujus imagines , ut cum Varrone loquar , in animo habeo , ut mirum sit , si non ego hodie repente Poëta evado.)

Cum enim in Prosodia aliae sint syllabae longae vel breves ob rationes , aliae sola auctoritate unius alteriusve Poëtae , dicendum est , Li in Livor brevem esse syllabam auctoritate Spanhemiana .

Itaque scribite pueri : Li in Livor longa syllaba est auctoritate Ovidii , brevis auctoritate Spanhemii .

DEMOCRITUS. At tibi , *Gelasi* , copia est , dum lingua vivat , qui rem solvas omnibus . Ne tamen nimium abs te contemnatur versificator , cave . Cogita hos elegos ἀντιγενεῖαν fusos esse .

GELASIUS. De his quidem male natis versibus injurato credam . Sed non semper adhibere illis fidem soleo ,
qui

qui talia tantopere jactant. Tametsi
enimi scripta olei & somni jactura
elucubrata sint, & demorsos undequa-
que unguis sapient, *ωγχεδιασι* tamen
aut in *itinere* veluti per lusum compo-
sita esse dejerant. Sed audi tu plura
nunc, & graviora fane. Utinam ve-
ro tam bene Gallice sciresquam Latine!

S O N N E T
A L'E P O U S E.

Loin solitude, ennuy, pudeur, Ste- „
rilité, „
Sidans l'etat le plus heureux de la „
Nature „
Adam sans Eve étoit un Corps sans „
nourriture, „
N'ayant, que le dormir pour sa feli- „
cité. „
Si d'estre seul déplut à la Divinité „
Si l'union de deux Coeurs est de Christ „
la peinture. „
Si des oiseaux le chant & la ferti- „
lité, „
Font voir d'un doux Hymen l'agrea- „
ble figure: „
 Ven-

„ *Venez, aimable Ursule, gouter du*
 „ *Paradis,*
 „ *De Dieu, de Christ, des Anges, &*
 „ *des temps de jadis,*
 „ *Les transports, les plaisirs, les ris,*
 „ *& les appas,*
 „ *Noyez dans ces douceurs vos vieilles*
 „ *amertumes,*
 „ *Ne craignez ni les soins, ni des fols*
 „ *les coutumes*
 „ *Les biens, qu'on vous prepare, iront*
 „ *jusqu'au trépas.*

DEMOCRITUS. Ex Gallica in Latinam transfer, quas hic fecit, elegantiā, nisi forte tum peritura est carminis venustas.

GELASIUS. Non parum delibarem
 de pulcritudine sermonis Gallici, &
 si verum fateri velim, me vestigia ter-
 rent. *Inficitis rusticisque vocibus La-*
tinos sales perdidit Wajenus. Quid de
 me fiet, si Gallicos hos lepores Latinis
 explicare verbis in animum induce-
 rem? Sane, ut ait ille, Styli poenas
 darem. Verum enimvero, si judicium
 Viri docti, qui & ipse Gallus est,
cum

cum animo meo cogito, nullam facturum me Spanhemio injuriam putem tamenetsi transferrem haec Stylo, quali Obscurorum Virorum Epistolaes scriptae sunt. Et quid tentasse nocerbit?

*Prius tamen ego protestor, quod non
volo irritare Dominationem & Venerabiliteram suam, sed ego cupio cordialiter & affectuose, per clarum & intelligibile Latinum interpretari de uno verbo ad aliud formosissimum suum carmen Gallicum.*

Procul Solitudo, Molestia, Pudor, , ,

Sterilitas, , ,

Si in statu felicissimo Naturæ , ,

Adamus sine Eva erat unum corpus , ,

sine Nutricione, , ,

Non habens quam tò Dormire pro sua felicitate. , ,

Si esse solum displicebat Divinitati, , ,

Si unio duorum cordum est pictura de Christo, , ,

Si avium cantus & fertilitas, , ,

Faciunt videre de uno dulci conjugio jucundam figuram: , ,

Veni, , ,

- „ *Veni, amabilis Ursula, gustare de
Paradiso,*
 „ *De Deo, de Christo, de Angelis, de
temporibus olim,*
 „ *Extaticas letitias, oblectamenta,
risus, illecebras.*
 „ *Submerge in his dulcitudinibus ve-
teres tuas amaritudines,*
 „ *Ne time nec curas, nec consuetudi-
nes stultorum,*
 „ *Bona, quæ tibi præparantur, ibunt
usque ad obitum.*

Tuam nunc, Democrite, clamo, po-
 stulo, obsecro, oro atque imploro fi-
 dem! Adamus ex hac sententia o-
 mnes suas spes fortunasque in somno
 positas habuit priusquam Evae fruere-
 tur confortio. Somnolentam profecto
 felicitatem, gliribus dignam non ho-
 mine, qui *Dei exemplum est in ima-
gine parva*, ut Manilius ait. Si tu aut
 ego haec diceremus, quam vocife-
 raretur Spanhemius cum suis: *εάπιστοι
ευπτύχοι, εἰς χόρακας* Socinianos if-
 tos, pestilentissimosque Novatores.
 Verum *Αὐτοίς οφα*. Iccirco hanc Theo-
 lo-

logiam novam loquetur posteritas! haec ^{Pag. 35.}
 cogitationes aetatem ferent. Invitat ^{Pag. 62.}
 deinde ad Συγκίνεσμόν, ut caste loquar
 Ursulam suam, idque explicaturus:
*Veni, ait, fruere deliciis Paradisi, Dei,
 Christi, & angelorum.* Cui mortalium
 unquam venit in mentem ita loqui!
 Videor mihi videre ridentem in sinu
 Beverlandum, spurcum illum & im-
 purum hominem. Ille nunc senten-
 tiae suae de Mezza-potta-mia Paradi-
 so, Arbore vitae, robur quaeret ex
 imprudentibus his Theologi scrip-
 tis, quae ego profecto vellem tardipedi
 Deo data fuisse, infelibus ustulanda
 lignis.

Et quotusquisque nostrum est, qui
 quod alicubi Homerus Divum ille
 hominumque architectus de suo Jove
 ait, hic quoque non dicat. Spanhe-
 mius haec scripsit:

"Την φέρει Φιλότην δαμείς· ἔχε δ' ἀγ-
 γεδάκοντιν

*Victus somno & amore, inque ulnis
 conjugis haerens.*

Vel quia noster Plautinis cum Hiero-
 nymo

nymo delectatur salibus, dicamus nos
potius:

*Ita in Pectore Amor fecerat incen-
dium,*

*Ut nullus dubitem, quin arserit
etiam caput.*

DEMOCRITUS. Redit in mentem mihi domus Amstelodamensis, & faceta ista Επιγεφί. Ha ! ha ! he !

GELASIUS. Ista tu nunc missa face, & quemadmodum Hierarchiac Anglicanae patrocinium suscipiat, animum adverte.

DEMOCRITUS. Mirabor, si hic non pugnet tanquam pro aris & focis.

GELASIUS. Scin' tu, mi frater, per necessarium esse, ut super illa controversia orbi litterato mentem suam aperiat. Si enim fortuna faculam lucificalm allucere velit, obtinget Nostro olim Episcopatus non ex minimis, numerabiturque inter *Infulatos Britanniae Patres*. Tum haec meminisse juvabit, poteritque oblatam Provinciam amplecti, non utraque modo manu, sed & animo Recti Verique conscio.

DE-

D E M O C R I T U S. *Enimvero opima
praedia tranquilla possidere mente res
non levis est.*

G E L A S I U S. *Legebam heri apud
Suetonium illud Syllae Dictatoris: *Cae-
sari multos Marios inesse.* Forte erat
in eodem pulpito haec, quam legi-
mus, Epistola. Quam ubi viderem,
tanta animi contentionē Episcopatum
defendere: Nae, dicebam tacitus me-
cum, haec qui leget attentius, jūdi-
cabit *Spanhemio multos inesse Episco-
pos.* Sane quidem, uti Bogermannus
ajebat in Dordracena Synodo; *Nos
nondum hic adeo felices sumus, Domi-
ne,* ut Episcopis gaudeamus, veruni
si illa felicitas Belgicae nostrae immi-
neret, quam vereor, ne horribilis
proditura cito sit effigies hac aut simili
Inscriptionē:*

F R I D E R I C U S S P A N H E M I U S F.
**D E I. C L E M E N T I A. A R C H I E P I-
C O P U S. L U G D U N E N S I S. T O T I U S.**
H O L L A N D I A E. P R I M A S.

D E M O C R I T U S. *Quam primum haec
michi tu nuntiabis, nuntiabo tibi ego,*

tollendam ampullam omnibus, quibus Archiepiscopus non favet, abeundumque ad extremos Garamantes & Indos, vel si mavis, Novae Zemblaे incolas. Ista enim tempora (detestor omen) hos ex piscatoribus hominum, balenae & Leviathanis pescatores stupenda Metamorphosi facerent.

GELASIUS. *O Deus hanc Batavisteris avertito Pestem!*

Quidvero tam seria nunc agimus? Vident' tu tabulam illam? Qui ista toga placet? annon Episcopale aliquid minari videtur?

DEMOCRITUS. Quorsum tu haec dicas, ego profecto non capio. Annon illa, quam monstras, effigies, nostri Wittichii est, Viri, qui dudum delevit omnem ex animo imperandi libidinem, quemque ego millies memini dicere, nihil esse intolerabilius illo hominum genere, qui in fratrum animos affectant regnum, nobilissimamque partem, quae sola mancipio non datur, servire ullo modo docent.

GE-

GELASIUS. Rem omnem audies. Si dicerem Vox est Jacobi, manus habitusque Esavi, multi id profane existiment dictum, nec tu me satis, quid velim, intelligas. Perspicue dicam, tribusque verbis: Vultus est Wittichii, reliqua, quae vides, spanhemii. Cum enim Spanhemii effigies nimis parce venderetur, erasa est facies Hujus, ejusque vicem insculpta illa Wittichii.

DEMOCRITUS. Ita in Proverbium aut Aenigma potius abibit: *Spanhemium, tamenetsi supereft, capit is tulisse supplicium.*

GELASIUS. Cum in praeterita redeo, & mecum in animo meo, quos ille Wittichio luserit ludos, considero, nae illud supplicium culpa longe levius est. *Oporteret minimum hunc in cruciatum abripi, & ex Leidensi fugget;*
stū intro in pistrinum trudi, ad necem;
usque ut ibi molat. Reddo ipsi Terentianum illud verbum, quod dum factus esse vult, suum facit.

Pag. 41.

DEMOCRITUS. At vero, dic, ob-

C 3

sc-

secro te , quid fecit *Wittichius* ,
Theologus tam Pacificus , quid com-
meruit ?

PAG. 3.
ibid. **GELASIUS.** Rogas ? Ille caussa est
quaniobrem *vigor vivusque color* pe-
reat *Spanhemio* , *teneriori* ut sit *cor-*
puscule , & febri saepius laboret .

Wittichium plures audiunt , hoc
Spanhemio febris est , hinc in facie
sedet miserae magna que pallor Invi-
diae . Magnatum pererrare fores , &
servulis uti *Philosophis* non tantam
ipsi afferre ajunt voluptatem , quan-
tam haec *Wittichii* fortuna tristitiam .

DEMOCRITUS. Doleo sane vicem
Wittichii , Viri Optimi , qui quod
studiosi adolescentes peccant , plecti-
tur .

GELASIUS. Imo vero plectitur ma-
gis *Spanhemius* :

Invidere alii bene esse , tibi male esse ,
miseria est ,

Qui invident , egent illi ; quibus in-
videtur , rem habent .

Et quidni plecteretur , cui toties can-
tatur , quod homini immunifico can-
tari

tari Comicus ait :

*Quod habes, ne habeas, & illud quod
nunc non habes, habeas malum,
Quandoquidem nec tibi bene esse po-
tes pati, nec alteri.*

Cum nuperius Lugduni duos tresve dies morarer, eram una cum egregiis praeclaraeque doctrinae adolescentibus, qui se olim in *Spanhemii* disciplinam tradiderant. Miris illi famam hominis existimationemque laccecebant modis. Unus accusans socratiā ejus atque ignaviam, contigisse ante biennium ajebat rem, omni miraculo majorem. Idem enim ille *Spanhemius*, qui, (uti valvis Academiae affixum plurimi legerant) catharro gravi impeditus, domique hærere coactus, nec publicas habere scholas poterat, nec privatas, cōpse tamen die Hagae Comitum in Aula Principis conspectus fuerat. Iras alter multaque animi impotentis & superbi percensebat specimina. Ex plurimis unum accipe, quod pro certo affirmare audebat. Cum Synodus Australis Hol-

landiae Lugduni habita amplissimis
verbis gratias ageret Wittichio , quod
Caussam Spiritus Sancti contra Chri-
stophorum Sandium solide defendisset,
Tamne facile , Spanhemius ait , *inire*
quis gratiam a Synodo potest? conti-
nuoque domum volans *Cogitationes*
Extemporaneas de Causis incredulitatis
Judaorum in chartas conjicit , eas-
que Synodo offert , gratiamque , quam
hae ratione emendicaverat , obtinet.
Tertius denique in his adolescentibus
prolixissime omnium exagitabat Ava-
ritiam , morbum , quem dicebat , non
minus , quam Invidiam , permanare in
venas Spanhemii , inhaerere in vis-
ceribus , nec evelli , cum inveteratus
sit , posse . Scholis privatis , perge-
bat hic , quas in Historiam Ecclesia-
sticam habiturum se nobis receperat ,
interfui ego . At quamprimum argen-
tum repraesentavimus , res nostras
nobis habere jussit , nec cursum , eo
quo ceperat modo , peregit . Loque-
batur praeterea ex Plauto nescio
quos ;

*Argenti-extere-bronides ,
Nummorum expalponides ,
Quod-semel-arripidies ,
Nunquam-postea-eripidies.*

DEMOCRITUS. Sane *Spanhemio* haec reddita est benignitas , nulli negare solet , qui nummos offerunt. Tu vero , si placet , a diverticulo , quod ajunt , in viam.

GELASIUS. Misere exagitat circa finem Epistolae , quorundam ex No-
stris in loca quaedam Scripturae cogi-
tationes. Litem illam ego nunc qui-
dem haud facio meam. Quis adeo sui
amans est , id ut sibi datum credat
ne peccet unquam? Veruntamen illud
ώς τι παρόδω monitum velim , impro-
be & intolerabiliter calumniari om-
nes , qui verba quaedam , sive dicta
illa sint , sive scripta , legenti ob oculos
ponunt , nulla vel nexus , vel ratio-
num , quibus mentem suam proli-
xius explicant , mentione facta.
Hac enim ratione maxime seria maxi-
meque vera , tanquam ridicula & fal-
sa essent , facile proponas. Bene illud
 &

pag. 122.
123. &
seqq.

& sapienter observatum est a Viro
 Docto, qui Sylvestres Frisios nupe-
 riū castigavit. *Quis ferret*, ait ille,
Momum tam sceleratum tamque im-
pium, qui *invidiae quaerendae caussa*
Commentatores Belgas exscribens hac
ratione risum concitaret: Audi ob-
 secro; quid Commentatores dicant.
Filius ille Masculus Apoc. XII. cap.
Constantinus est. Ha! ha! he! ha!
hi! he! Constantinus ad Deum ejus-
que solium raptus est. ha! ha! he! Mons
ingens flagrans igni, qui in mare dejectus
est, Pelagium designat. Ha! ha! he!
Arrige aures, Pamphile. Grando, ignis
& sanguis Apoc. cap. VIII. Arii haere-
sin significat ha! ha! he! Duo illi te-
 stes, ne nescias, sunt Johannes Hus-
 sus & Hieronymus Pragensis, vel si ma-
 vis, Lutherus & Melanthon. *ha! ha!*
he! *Quis talia audiens non diceret*:
Expelle Ismaelem Momum hunc, &
jube ire illuc, quo dignus est. Illiusmo-
 di Momum aut Ismaelem vir doctus
 sibi finxerat. Si tu forte nunc videre
 talem cupias, in Spanhemium, tan-
 quam

quam in speculum inspicere te jubebo. Ridere illum audies & clamare **מליזה**, o lucem interpretationis! mox etiam narrare, ingeminasse aliquem ex nostris εύπνκα, &

Sacris colamus prosperum tandem diem. Expeditam rem esse: Virgines Φερίψος oleo instructas esse omnes illos, qui, Coccejo duce, Prophetiarum scutinio a grege mutorum se distinguunt. Fulgura, terrae motus, rupturam magnæ Civitatis in tres partes, Belgarum calamitatem significare. Videbis autem ridere illum, non refellere. Si mihi nunc animus esset, par pari referre, in quam latum dicendi campum excurrerem.

In memoriam revocarem, quae non Ipse apud suos clam ingeminavit, sed publice pro concione dixit, quorum alia vana & falsa sunt, alia inepta & ridicula. Praeberet, mihi crede, ludos, sine omni choragi opera. Si ex me audiens, Democrite, omnia Christianae religionis mysteria, quae ad salutem necessaria sunt, doceri Vetulam posse,

se intra dimidia horae spatium, diceres ne tu: Ineptis mirifice, GELASI, seduloque das operam, ut cum ratione insanias. At ego hoc nunquam dixi; dixit autem Spanhemius, cum de Goële Iobi, ad populum verba faceret.

Sed nolo καρφολογεῖν, hujusque notae plurima nunc libens praetermitto. Unum illud silentio non premam, quod mihi toties bilem movit stomachumque. Feriis Natalitiis Anni MDCLXXVII. Praeco hic Evangelicus Hagae Comitum, quo non raro excurrere solet, profana adulatione in Ecclesia & deinceps in Aula Principis in hunc fere modum peroravit:

Quemadmodum universus terrarum orbis omnibus incedit laetitiis ob Salvatoris Jesu Christi nativitatem, qua parari novit humani generis ἀπλύτεωσιν, non secus idem ille terrarum orbis exultat, ob felicissimum connubium, quo Serenissimus Princeps Auriacus cum Principe Regia jun-

junctus est. Liberationem enim mirificam ex tam fausto conjugio tam intuetur animo, quam quae cernit oculis.

Clamemus nos hic quoque : **מְלִיכָה**. O lucem interpretationis ! O inventum centum mactatione boum dignum ! Quid vero hoc aliud est, quam tremenda Religionis Christianae mysteria profanis hostibus deridenda propinare ? Hic tamen est Ille, qui veluti Eliae ardore & Zelo percitus, alios accusat : *Nihil prob!* „^{p. 135.}
nostros afficiunt serpentis Atheismi tabes, „[,]
Socinianismi gliscantis contagia, „[,]
Religionis ubique frigus. Quasi vero „[,]
 nostrarum partium homines , non majorem, quam illi, posuerint operam atque industriam, in refellendis Atheis & praecipue pestilentibus illis libris, quos *Benedictus*, aut verius, *Maledictus Spinoza* in lucem protraxit. *Blyenburgios*, *Mansveldios*, *Melchiores*, *Velthusios* aliosque jactare heic possem, qui omnes nobilioris Philosophiae flumine pectus suum inundarunt

runt. Novi praeterea Virum Maximum, summumque Philosophum in confutando opere Posthumo *Spinozae* elaborasse. Quod vero nemini adhuc visae sint illius Meditationes, id ego temporum assigno injuriae. Est hominum genus, qui, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant. Illi, quia ipsi haud possunt, alios etiam quo minus haec monstra confodiant, impediunt. Sunt alii, qui illa quae solide respondentur ad Spinozae argutias, subtilia vocant. Alii, in quibus *Spanheimius* nomen profitetur suum, in ore habent perpetuo, multos Atheismum fervide oppugnare, sed ad exemplum Phariseorum in Evangelio, qui condemnabant adulteram illam. Hi cantabunt tibi Leonem X. cum ipse Atheismi veneno tinctus esset, alium tamen impulisse, ut contra Atheos scriberet. Campanellam in Triumpho Atheismi virorum sapientum judicio aliquid monstri alere. Vaninum cum magna contentione hanc impietatem publice debellaret, eam nihilo secius

sta-

Spanli.
l'Athee
convaincu
page 47.

stabilivisse, & maximam fenestram ad Atheismum patefecisse.

DEMOCRITUS. Quemdamodum placet tibi *Atheus Convictus*, quem nobis dedit *Spanhemius*?

GELASIUS. Si putat hac ratione refutari posse illos, qui Spinosae legunt ratiocinia, vehementer errat. Rident illi haec, nec unius aestimant assis.

Clament, nihil agi in his Homiliis, quod ad rem facit, nihil reponi ad dubia, quae objiciunt. Atque ita his profligatae nequitiae hominibus magis praesidii est in debili ista refutatione, quam in illa sua, qua abutuntur, ratiocinatione. Ea nunc vivimus tempora, ut *duris nodis, durus quaerendus sit cuneus*. Clava Herculis sit oportet, quae haec monstra subigat.

Non alio auxilio, nec defensoribus istis

Tempus eget.

DEMOCRITUS. Expecto nunc ultima Epistolae, quae tu mihi dudum aculeata esse dixisti.

GELASIUS. Non aculeata tantum,
sed

P. 135. „ sed & virulenta. Sinamus, ait, &
 136. „ Praefatorem, & socios sacri foederis
 „ tñ de tñ vñor vñstñ eo morbo contabesce-
 „ re, tumida nempe dñscoqias, amula-
 „ tionis præposterae, & inexorabilis odii.
 „ Turgeat Praefator instar utris inflati,
 „ & altum spiret, nosque etiam ex alto
 „ despiciat; e quidem ille

„ Dives opum, dives positis in foenore
 „ nummis,

„ Sed &, se judice, scientia Scriptura-
 „ rum omnisque sacræ antiquitatis, di-
 „ ves.

„ Tuam nunc appello fidem, aequita-
 temque, hoccine sit hominis, in quo vel
 gutta charitatis? ne dicam Viri Theo-
 pag. 37. logi, (agnosce voces ipsas Spanhemii)
 mansuetique ingenii pacem ostentantis,
 sed læva jam manu, dum dextra fer-
 rum adigit in viscera.

DEMOCRITUS. Lautae res Wajeni
 magnopere cruciare yidentur Span-
 hemii animum. Memini te legere su-
 pag. 6. „ perius: cui nihil moderabile suaderet
 „ nummorum fiducia, quibus
 „ Regum aquabat opes animo.

Nunc

Nunc iterum eadem oberrans
chorda ait: *equidem ille*

Dives opum, dives positis in foeno- „ pag. 136
re nummis.

GELASIUS Vulpes, alta in vinea „
Uvam adpetebat summis saliens
viribus.

Quam tangere ut non potuit, dis-
cedens ait:

Nondum matura est; nolo acer-
bam sumere.

Vulpem ita dixisse, aut cogitasse fa-
bula est. At vero Spanhemium haec
cogitare, fabula non est, cum in eo
unice, omnique animi viriumque con-
tentione elaboret, ut rem faciat, & sit

Dives opum, dives positis in foenore
nummis.

Quod praeterea dicit Wajenum, seju- „
dice scientia Scripturarum omnisque „
sacrae antiquitatis divitem esse, id „
strenue, ut cum Spanhemio loquar, pag. 130.
mentitur obtrectator. Verum ego cum „
Wajeni patrocinium suscipio, mitto „
Γλαῦκες Ἀθῆνας. Exspecto avidissime,
quae vir ille Eximus respondebit; re-
D spon-

spondebit autem propediem. Differemus cum maxime disputare, de vanis illis miserisque ratiociniis, quibus Epistolographus suaves errores suos & peccata splendida tegere conatus est, alios accusans acriter,

*Et sua pervidens oculis mala lippus
inunctis.*

DEMOCRITVS. Ego quoque ita statuo & animum induco meum, ut, quamprimum Wajeni Nostri Apologia proditura est *eis Φαός ἡλίοιο*, seria agamus & rem ipsam putemus. Tibi interim, *Gelasi* praestantissime, gratias habeo & ago maximas. Nunquam quidquam jam diu, quod magis vellem evenire, mihi evenit, quam jucunda tua mecum super hac Epistola Collocutio. Defessus jam sum miser ridendo. Tu Gelasii, Democriti ego personam strenue sustinuimus. Si quis autem haec inclementius dicta existimet esse, ita existimet: Ridere aequum esse non illos, qui ridicule facta dicunt, quam illos, qui ridicule dicenda faciunt. Tu etiam si me audis pro-

protrahes in dias luminis auras ea,
quae ultro citroque locuti sumus.
Idego te per prolixam tuam in me
pietatem & benevolentiam, perque
illam, quae a teneris inter nos fuit,
necessitudinem obtestor.

GELASIUS. Tuus, ô Democrite,
quid opes
Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.

Dudum est, quod meas soles esse
aliquid putare nugas, tametsi id non
tuo judicio, quod limatissimum est,
sed amoris in me tui abundantiae as-
signo. Recipio tibi, me hunc Cato-
nem allegaturum Spanhemium, ut
videat, annon illa, quae a nobis dicta
sunt, Veritate nitantur.

*De hinc, ut quiescat, porro mone-
bo, & desinat*

*Maledicere, malefacta ne noscat sua.
Sunt enim alia multa, quae nunc
condonabitur,
Quae proferentur post, si perget lae-
dere.*

Ita, ut nunc facere instituit.

DEMOCRITUS. Facis, ut te dignum est. Salvum te nunc, ô Noster, jubeo atque incolumem.

GE^LA^SI^US. Vale & tu, meae Deliciae, & si quid *Spanhemius* denuo scribat, aut *Wajeno* reponat, ne committe, ut id ex alio citius, quam ex te intelligam.

F I N I S.